

et concéde ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt ⁊ ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolationis tuæ beneficia consequántur : Per.

In secundo anno et deinceps in Anniversario.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis represéntas incólumes ⁊ exáudi preces populi tui : et præsta ut quisquis hoc templum beneficia petitúrus ingréditur ⁊ cuncta se impetrásse lätétur. Per.


AD II. VESPERAS.

Super Ps.

Ant.

vij. toni.

DOMUM tu-am. Ps. 115. Crédidi, propter quod



locútus sum : * ego autem humi-li-átus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : *

Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, *
pro ómnibus, quæ retríbuit
mihi?

Cálicem salutáris accí-
piam : * et nomen Dómini
invocábo.

Vota mea Dómino reddam
coram omni populo ejus : *
pretiosa in conspéctu Dó-
mini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego ser-
vus tuus : * ego servus tuus,
et filius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : *
tibi sacrificábo hóstiam lau-
dis, et nomen Dómini invo-
cábo.

Vota mea Dómino red-
dam in conspéctu omnis po-
puli ejus : * in átriis domus
Dómini, in médio tui Jerú-
salem.

Psalmus 121.

LÆTATUS sum in his, quæ
dicta sunt mihi : * In domum
Dómini íbimus.

Stantes erant pedes no-
stri, * in átriis tuis Jerúsalem.